



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 126 ad 150

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1765**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CXXVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53443](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53443)



PSALMUS CXXVIII.

**T**itulus, & Argumentum: *Canticum graduum.*

*In Psalmis gradualibus vicissim Propbeta nunc deplorat ærumnas peregrinationis, nunc bona patriæ Cælestis laudat, ut tam illæ, quàm ista ad ascendendum, & festinandum hortentur. Quoniam igitur in præcedenti Psalmo multa dixit de bonis Jerusalem; nunc redit ad mala Babylonis, in quâ exules sumus, & peregrini.*

*v. 1. Sæpe expugnaverunt me à juventute meâ, dicat nunc Israel.*

Consolatur se populus Dei in tribulatione positus, quod jam sit assuetus talibus angustiis, & semper, Deo adjuvante, liberatus fuerit. Conveniunt hæc verba Judæis, qui in reædificatione templi, & urbis à vicinis gentibus oppugnabantur; item Ecclesiæ Christi, quæ vix unquam ab oppugnatione Paganorum, vel Hæreticorum, vel falsorum Christianorum respirare potuit. Ait igitur: Populus Dei, qui *Israel* vocatur, non miretur, si ab hostibus oppugnatur, quia nihil novi patitur, sed revocet ad memoriam

riam



riam præteritas angustias, & dicat, sæpe expugnauerunt, h. e. oppugnauerunt *me inimici mei* jam inde à primâ meâ ætate: nam vix nata Ecclesia passa est in Abele persecutionem Caini, ac deinde plurima.

ψ. 2. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi.*

Dat rationem, cur populus Dei toties ab hostibus sit oppugnatus, nempe quia nunquam prævaluerunt. *Non potuerunt mihi nocere, vel prævalere.* Verissimum hoc esse Ecclesiastica historia testatur.

ψ. 3. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.*

Idem repetit, sed metaphoricè. *Supra dorsum meum artem fabrilem exercuerunt, utentes dorso meo pro incude.* Porro *prolongatio iniquitatis* est continuatio persecutionis.

ψ. 4. *Dominus justus concidet cervices peccatorum: confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.*

Consolatur populum Dei spe propinquæ liberationis. Bono animo estote justis: nam persecutores vestri quidem injustè



injustè dorsum, seu cervicem vestram nunc premunt; sed paulò post *Dominus justus justè cervices* ipsorum non premet, sed *concidet*, & in frustra comminuet gladio suo, ut nunquam amplius vobis nocere possint: & tunc demum confundentur, qui antea superbè exultabant, & convertentur retrorsum fugientes, cadentes omnes illi, qui oderunt, & persequentur populum Dei. Sic concisi sunt à Deo Pharao, Nabuchodonosor, Balthasar, Antiochus, Nero &c. &c.

¶. 5. *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*

¶. 6. *De quo non implebit manum suam, qui metit, & sinum suum, qui manipulos colligit.*

Alia est imprecatio, pariter prædictionem notans: Significat enim brevissimam fore persecutorum felicitatem. Hanc comparat cum fœno, sed ne quidem cum campestri, sed cum eo, quod in tectis domorum nascitur, quæ est herba minutissima, & nullius pretii, nullique usui apta; quam idcirco nemo metit, nec in manipulos redigit, sed arescere, & perire permittit. In die judicii vide-



videbimus, viros quondam potentissimos, & ditissimos, qui se domos suas regnis, & imperiis stabilivisse crediderant, abjectos projici in locum totius Mundi infimum; & qui deliciis, & voluptatibus assueti, ne levissimum quidem incommodum ferre poterant, sempiternis cruciatibus addici sine ullâ consolatione.

*v. 7. Et non dixerunt, qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.*

Quia dixerat, fœnum tectorum non solere meti, & colligi, addit, non futurum etiam, ut messoribus ejus à prætereuntibus benedicatur, quomodo benedici solet messoribus tritici, vel fœni campestris, quod pertinet ad majorem confusionem iniquorum, qui fœno nascenti in tectis comparati sunt. Dicit ergo: Non contigit vobis, nec contingit, ut, qui transeunt per vias, benedicant iis, qui vos metunt: nulli enim vos metent, sed qui tecta purgant, projicient vos in ignem, vel in cloacam. Porro benedictio prætereuntium non ad messorum tantum, sed ipsam etiam messem pertinet: precantur enim prætereuntes, ut copiosa, & matura



